

/ Perillustris, et Reverendissime Domine Frater. Videor mihi respondisse literis Reverendissimae Dom. Vestrae, quas primum accepi; sed cum iterum per aliam viam easdem acciperem, subdubitare coepi, an respondissem; tam variae, et tam multae sunt occupationes meae, 5 ut facile ad oblivionem rerum praeteritarum me adducant, praesertim in hac aetate senili. Ut non sit, non potest mihi non esse iucundissimum cum fratre per literas colloqui, cum quo et iugum idem obedientiae sanctae annis fere quadraginta portavi, et nunc iugum durius, ac difficilius praelaturae porto. Cognovi ex literis Reverendissimae D. Vestrae statum ecclesiae istius, et continuo cum Summo Pontifice, et cum cardinale Sancti Georgii diligenter egi de restituendo nomine, et dignitate archiepiscopali ecclesiae vestrae. De angustiis, quas patitur Amplitudo vestra à falsis fratribus, etiam si dedi, et dabo operam, pro mei particula muneris, ut aliquando li- 10 beretur; interim tamen non sine magno praemio erit patientia vestra. Itaque simul et compatior pro praesenti pressura, et congratulor pro futuro gaudio. Bene novit D. Vestra Reverendissima non aliam fuisse vitam apostolorum, et illius ipsius beatissimi apostoli Thomae, qui primus in partibus istis praedicavit regnum Dei, et per 15 multas tribulationes intravit, et secum duxit primitias istius regionis in coelum. Non alia via intrare ⁿ Vos oportet, et colligere fructus serotinos, et Domino Christo eos offerre. Molestè fero, quod Sanctissimus Pater non frequentius per literas consoletur fratres suos in tam longinqua regione pro ecclesia laborantes; sed ab alte- 25 ra parte compatior infinitis eius occupationibus; nec illud ignoro, ubi deficit humana consolatio, ibi praesentio rem solere esse divinam. Valeat Reverendissima D. Vestra in Domino, et oremus pro invicem, ut salvemur. Datum Romae die 12 Decembris 1609.